ductis perpendicularibus, quæ chordas dividant æqualiter, utraque perpendicularis transit per centrum, quod proinde erit in communi utriusque perpendicularis intersectione. Simili ratione dato circuli arcu centrum invenitur, totaque circumferentia describitur.

COR. VI. Hinc arcus circuli datus in duos æquales arcus dividi potest. Ducatur chorda arcum datum subtendens, hæcque datur, eadem perpendicularis etiam angulum quem arcus metitur æqualiter in duas partes dividet.

SCHOL. Ex hoc corollario patet facile dividi posse angulum quemlibet in partes 2, 4, 8, 16, 32, & ita deinceps secundum terminos progressionis geometricæ duplæ; sed, per geometriam elementarem, angulus in tres partes æquales dividi non potest; atque hæc est anguli *trisectio* a geometris per *circinum* & *regulam*, ut dicunt, hoc est per lineæ rectæ & circuli constructionem, frustra quæsita. Demonstrant enim Geometræ problema illud ad tertii gradus æquationem necessario pertinere, quæ quidem æquationes per solum circulum construi non possunt. Neque ob eamdem rationem per sola geometriæ elementa angulus dividi potest in partes 5, 6, 7, 9 &c. Talis enim divisio, pro diverso partium æqualium numero, ad altiores æquationum gradus assurgit. Id autem, quamvis ad elementa non pertineat, breviter monuisse volumus.

PROP. III. *Radius* EG *in puncto contactus* G *ad tangentem perpendicularis est*. Etenim